



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

14. Dies Augusti. Homo, deum tanti debet habere, quanti est habendus;
tanti verò habendus est, quantus est. Guigo in medit. c. 9.
-
-

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Augustus.

Tessera.

633

tute Alexander Magnus , qui cùm daret civitatem
cuidam dicenti , non convenire civitatem humili
fortunæ suæ , respondit : *Non quero , quid oporteat te
accipere : sed quia deceat me dare.* Cuius autem est in-
tegrum , esse munificum . Nam juxta Tesseram , cui
magnus est animus , illi non parvus est census ; quia
modus pietatis non pendet à mensura rei familiaris .
Licit enim quis habeat multa , alius pauca : non ideo
tamen discrepat fructus operum , ubi non deest affe-
ctus operantium . Denique , dos propria est libera-
lium : (a) *In donando valde excellere* , ait Aristoteles ,
exuberare , & quodammodo fluviorum instar , mu-
nificentiae amore , & studio , ex ea ripa velut difflu-
re : existimare se debere , quod sponte tribuit : nihil
que se præstituisse , nisi in beneficiis suis creverit : mu-
nera oblata spernere , accepta effundere . Tametsi fa-
tear verum esse illud Poetæ :

Qui spernat munus ? non est è millibus unus .

14. DIES AUGUSTI.

Homo , Deum tanti debet habere , quanti est haben-
dus ; tanti verò habendus est , quantus est . *Guigo
in medit. c. 9.*

Religio . 1. **I**ntra virtutes morales , primas occu-
pat , quæ dignitate est prima , Religio .
Itaque dicerem mihi Religioni ; si
cùm tanta sit , præterirem virtutem
Religionis . Dari naturalem Religionis virtutem ,
cùm sit conspirans omnium gentium consensus , est
extra omnem dubitationis aleam . Religio , quâ de
hic agimus , tota occupatur circa cultum Deo de-
bitum .

Rr 5

(a) l. 4. Ethic.

bitum. Itaque supremus cultus, quem Religio respicit, soli Deo debetur. Cultus autem ille potest exhiberi per actus, partim externos, partim internos: & inter hos non modò voluntatis, sed & intellectus, id est, summam existimationem internam, quam de Deo habere possumus. Praetulare de hac existimatione Auctor hodiernæ Tesseræ. Rationalis creature vera perfectio est, unamquamque rem tantum habere, quanti habenda est. Nam pluris, vel minoris eam habere, errare est. Deum itaque tanti debet habere, quanti habendus est: tanti vero habendus est, quantus est. Tanti autem, quantus est, habere eum immo poterit; nisi quantus est, noverit. Sed quantus sit, non nisi a seipso nosci poterit perfectè. Sicut igitur, sola ejus de se sibi perfecta cognitio; ita sola ejus de se aequalis, & par est ex toto dilectio. Solus quis possit, quia perfectè quantus est, novit: perfectè, quantus est, diligit. Quæ ergo creatura rationalis perfectio? tanti Deum habere, quanti a se, id est, creatura rationalis habendus est. Quanti autem habendus? Tanti, nihil nisi proferatur, nihil aquetur, nihil pro media, nihil pro tertia, nihil pro quantacunque usque in infinitum parte comparetur.

II. Cum igitur, Dei tanta, quanta non potest concipi, sit dignitas; quanta illa indignitas, pessima quæque, & minima, præferre Optimo, & Maximo! Jure igitur eos, qui è rebus conditis, spreto eorum Conditore, humiles emendicant delectiones, ad satiandas insatiabiles cupiditates, copiolæ inopiae, & ignominiosæ gloriæ Augustinus insimulat, his verbis: (a) *Quidamas, ut Deum non ames?*

(a) *In Psal. 79.*

Augustus.

Tessera.

635

ames? dic mihi? Ama si potes aliquid, quid ille non fecit? Circumspice universam creaturam: vide, utrum alicubi cupiditatis visco tenearis, & à diligendo Deo impediaris: nisi è re, quam creavit ipse, quam negligis. Quare autem, amas ista, nisi quia pulchra sunt? possuntne esse tam pulchra, atque ipse, à quo facta sunt? Miraris hæc, quia illum non vides; sed per eam quæ miraris, ama, quem non vides; Interroga creaturam; si à seipso est, remane in illa: si autem ab illo est, non ob aliud perniciosa est amatori. nisi quia præponitur Creatori. Sic miseri, quæ Deus condidit in hominis bonum; vertimus in nostrum malum, dum pulchritudine corporum, & dulcedine saporum, & illecebrâ honorum, & splendore facultatum, sinimus nos abripi à Deo, a dea, quæ propter nos fecit Deus.

III. Non amandæ igitur res creatæ, nisi è moderatione, quam in Meditationibus prædictis S. Augustinus. (a) Si autem ista diligis, ait, ut subjecta dilige, ut famulantia dilige, ut arrham sponsi, ut munera amici, ob beneficia Domini: sic tamen, ut memineris semper, quid illi debeas: nec ista, propter se: sed ista propter illum: nec ista, propter illum. & per ista, illum, & super ista, illum diligas. En præclaram regulam, quâ noster regendas est amor, cultus, & æstimatio erga Deum. Christianæ perfectionis æmulator strenuus, juxta hæc puncta suam conscientiam excutiat, & dirigat. Inveniet facile, quam rectam arbitrabatur, plerumque detortam esse creaturarum dilectionem: & super æquum æstimationem: & quod eas non in Creatore, & propter Creatorem; sed

in

(a) Suprà.

636 *Christiani Militis* *Augustus.*
in seipsis prō dolor ! & propter seiphas amore prole-
quatur. Hæc quisquis legis, attende, expende, pave,
& cave. Interim Religio, sive cultus Dei, & æsti-
matio, inter omnia sint tibi maximo in pretio. Ne-
mo enim cultum Dei impunis neglexit, imò nec in-
ter Ethnicos, Deorum. Cujus rei fidem faciet in-
ter innumera exempla, unum : Cambyses, Cyri fi-
lius, quinquaginta hominum millia misit ad Jovis
Ammonis templum diripiendum, & incendio fo-
dandum : at cùm inter Oaxim, & Ammonios
pransissent, subitâ ventorū tempestate, arenarum cu-
mulis obruti sunt; nec ex tanto agmine nuntius reper-
tus est. Si hæc Dii ! quid Deus ? sentiet pœnas in
ultimo judicio, quas evaluit in præsenti sæculo. Del-
lo quid dicam, nisi cum vate :

Vae misero mundo, veneris cùm Christo secundo.

IS. DIES AUGUSTI.

Mariæ magis placet imitator devotus ; quām lauda-
tor otiosus. *Ildephonsus serm. i. de Assumpt. B.V.*

Mariæ ad. I. Olemnitas assumptæ in cœlum
cœlum
assumptio. *S*MARIÆ Virginis, est celebritas
in terris Marianæ Paschatis. Hæc

juxta Tesseram, plus requirit ejus,
cùm vivendi integritate imitatorem ; quām cùm di-
cendi facultate laudatorem. Porrò, rerum in hac
virgine laudabilem, tanta est silva ; ut debeam in
ubertate modum potius, quām in jejunitate copiam
aucupari. Habuimus anteà advocatum apud Pa-
trem, JESUM : nunc habeamus advocatam apud
Patrem, & Filium, MARIAM. Ut anteà à Patre,
Filio, sic modò à Filio, Matri data est omnis potestas in